

DE IGNATIO RICHARDO DANKA LINGVAE LATINAE
CULTORE ET DEFENSORE

Illud suum: “vivere sine eos qui nesciunt Latine” cum “ad Ignatium Ricardum Latine longe loquentem” Georgius ŁANOWSKI triginta fere annis ante scriberet¹, communem quandam allatis modo verbis expressit admirationem nostram omnium facundiae mirabilis, qua tot vicens linguis Ignatius Richardus DANKA etiam Latini sermonis usu prae ceteris excellebat. Et Romanorum ille nostra in tempora perveniens sermo factus est cordi eius praecipue amabilis, cuius rei testimonium vix numeranda scripta eius Latina restant.

Omne studium, quo ad Latina pernoscenda usuque exercenda compelleretur, puerilibus iam annis ortum est, cum in scholis chimica neglegens experienda tantopere tamen illa in disciplina praestabat, ut hac de neglegentia magnam partem absolveretur. Et non remittebat Latinum colere sermonem etiam succedentibus annis, quando Universitatis Varsoviensis factus studiorum sodalis multum et longum tempus inter sermones Latinos cum fortuitis saepe collocutoribus degebat, plerumque Catholicae Ecclesiae sacerdotibus, hac uti lingua tunc usque potentibus. Et, sicut decuit, illud studiorum tempus in magistri honorem assequendum Latine scripto opere coronavit, dissertatione videlicet “De Babylonia Gilgameide cum carminibus Homeri comparata”, quae illic temporis, id est anno MCMLXII conscripta, sex et triginta annis post Lodziae typis expressa in lucem prodiit.

Huic quidem urbi (ceterum et ortu et cultu Lodziensis) Ignatius Richardus DANKA virtutem industriamque suam florentissimis vitae annis dono dedit, maximam hic – Lodziensi in Universitate Studiorum, ubi academica munera magnam vitae partem praestabat, demerens laudem peritissimi linguarum sicut scrutatoris ita etiam praeceptoris. Et nobis, illis annis philologiae classicae studentibus (inter quos et qui haec scribo fui), praeter ceteram qua eminebat indolem, factus est imprimis exemplo atque etiam cuidam miraculo, quanta cum sollertia quantaque facilitate ad agendum omnibus fere de rebus sermo Latinus adhiberi posset. Quae eius virtus non modo natali in urbe Varsoviaeque – ubi adolescebat – digne aestimata est, sed etiam animos studiaque alienigenarum in eum convertit, Dacoromanorum videlicet, qui Latini periti sermonis, hospites apud nostros

¹ Cf. *Collectanea Philologica* IV 2002, p. 5.

commorati, ob facundiam mirabilem cultumque eius linguae, quibus Richardus DANKA excellebat, admiratione coacti bis eum Latinos in conventus sua in terra habitos invitaverunt. In congressu de duobus iis altero Ovidianis dicato studiis, cum de Romanorum deorum cultu a Nasone poeta suis in carminibus exposito lectionem habuisset, Ovidianam in Societatem sodalis sumptus est, cuius sodalitatatis consessus maximam partem Latine gesti sunt. Altera etiam quadam mentione digna societas commemoranda videtur, LUPAE insignis nomine, de cultu Latinitatis sermoneque Romanorum sustinendo admodum demerita, cuius item duobus conventibus, Bohemorum scilicet Pragensi et Comitum Hagae qui habebatur, Ignatius Richardus DANKA multa illic agens multaque disserens intererat.

Inter conventus supra dictos illos Dacoromanos primum notitia post etiam familiaritate quadam iunctus est Ignatius Richardus DANKA patri Caelesti EICHENSEER – amicissime quem “Quercolacunarium” appellare solebat – clarissimo tunc iam linguae Latinae tutori primoque ephemeridis cui est nomen “Vocis Latinae” moderatori. His in commentariis periodicis permulta opera et opuscula Ignatii Richardi inclusa apparebant et inter alia litterae, quibus continuo patrem Caelestem de novis semper studiis suis certiore faciebat. Et ille invicem in Bavariam, regionem suam, invisendam Richardum DANKA invitavit, qui una cum nupta sibi Iolantha aliquod tempus illic residens, in scholis Latinis, quae tunc institutae erant, grammaticam Latinam eodem utens sermone docebat. Notum est nomen Ignatii Richardi DANKA studiaque eius Latina etiam aliis in terris – praeter Germaniam Italiamque apud Belgos, Batavos Bohemosque, ubi inter doctorum congressus Latini sermonis usu continuo eminens plurima variis de rebus disserebat et non paucas habebat lectiones.

Tot gentibus familiaris ne domesticis quidem spernebat interesse contionibus, Conciliis videlicet Lodziensibus, quos quindecim iam consessus ab ipso eius rei initio et adventu et oratione sua locupletabat. Quotannis enim, quamvis proventus iam aetate, vividus nihilominus ac strenuus, sibi tantum propria facilitate loquendi properante Latina lingua ad rem pertinentia quaedam ibi docebat et quaque habita illis in contionibus acroasi totius auditorii studia numquam languentia movebat. Post autem conviva praestantissimus in laeto amicorum grege de praesentibus praeteritisque multa et diversa agebat suoque et cantu et festivitate omnium animos iuvabat, ad proavorum illam linguam redemptam vestustati sibi que praecipue amabilem libentissime decurrens.

Non modo volante, sed etiam scripta oratione fortem se linguae Latinae cultorem Ignatius Richardus DANKA praebuit. Cuius operae tota quam reliquit hereditas non tantum rei conscriptae copia, etiam scripturae generibus miranda videtur. Praeter commemoratum iam iuvenile de Gilgamide opus manu quondam conscriptum, post autem liber ut genuinus editum, species litterarii operis diversissimae, quibus stilus eius exercebatur, enumerari possunt, ita ad venae appulsum poeticum sicut ad severa doctorum studia pertinentes. Et cum levior poetarum Musa compellebat animum Ignatii Richardi DANKA ad temporis plerumque

incitamento condendos, aliquando etiam Latine solum reddendos carminum versiculos aliave eiusmodi conscribenda, tum usque recens studium rem dignam quaesito vel plurimis pronuntiandi ad varias et re et stilo meditationes dandas litteris et per “Vocem Latinam” aliave opportunitatae divulgandas eum incitabat. Ceterum et illa priora non retinebat proprio in scrinio Richardus DANKA, sed humanissimus et hominibus semper patens nullaque suo tantum recondens usui, omnia fere in publicum dedit, unde operum eius, quae typis expressa legi possunt, numerus – ni ratione fallor – quattuor et quadraginta crevit. Et scriptis suis saepe commentariorum editoribus maxime laudabilium commissis ne ea quidem periodica Ignatius Richardus DANKA spernebat, quorum minor auctoritas erat² – omnes ille editores omnesque rei typis divulgandae moderatores, modo Latina edenda procurarent, fautor et defensor linguae Latinae strenuus stilo suo manuque adiuvabat.

Dimidia numero gravior autem pars eius operum, quae Latine conscripta ambitu publico dedit, sunt differentes et extensione et aliquando pondere tractationes de rebus, quibus investigatio scientiaque philologorum nixa est. Plurima his in commentationibus disceptanda Ignatius Richardus DANKA iniit multaque nondum clara explanavit. Inter genuina rerum Romanarum studia, altera autem ex parte investigationem de ortu linguarum communi indeque exstante earum differentia divisus, suis in scriptis Latinis bifariam necessitate agebat, primum religionis Romanae veteris scrutator diligens, post autem Indogermanici cultus et linguae interpres strenuissimus. Ex numero commentationum, quae ad res Romanas pertinent, illam in Bucurestensi conventu habitam, post autem conscriptam “De religione Ovidiana” orationem afferamus³, item de festis Feralibus Lemuriisque seu de Larum apud Romanos cultu dissertationes⁴. Altera vero studiorum eius pars, illa scilicet quae ad Indogermanicas spectat quaestiones, pro rei gravitate fusius atque diligentius et considerata et exponenda videtur.

Est ille restitutus proavorum sermo, intelligendus hodie paucissimis, vox qua Richardus DANKA vix iam de incunabulis resurgens usus esse traditur – studium eius pervicax cuique totum fere se dedit et una animi oblectatio iucundissima. Et

² Exemplo commentariolum quod MAS (Memento Audere Semper) inscribitur, vilius et titulo et dignitate, fieri potest, ubi anno MCMXCIV, etiam anno sequente, quinquies Ignatii Richardi DANKA nomen apparuit (sicut auctoris duarum de conventibus habitis relationum uniusque commentationis brevis, item duorum carminum Latine redditorum interpretis).

³ *De religione Ovidiana*, in: N. BARBU, E. DOBROIU, M. NASTA (edd.), *Acta Conventus Omnium Gentium Ovidianis Studiis Fovendis, Tomis a die XXV ad diem XXXI mensis Augusti MCMLXXII habiti*, Bucurestis 1972, pp. 213–232.

⁴ Utraque apparuit in commentariis Societatis Philologiae Polonorum, inscriptis Aurorae Graeco nomine (“Eos”) – ceterum numinis Aurorae omnibus, id est sodalitati, cuius est ritum et linguam proavorum colere cuique Ignatius Richardus DANKA praesidet, praecipue venerabilis: (1) *De Feralium et Lemuriorum consimili natura*, Eos LXIV 1976, pp. 257–268; (2) *De Larum cultu rustico et familiari*, Eos LXXI 1983, pp. 51–71.

praeter supra commemoratam facilitatem Latine loquendi multo magis miranda in hoc viro videtur volubilitas atque experientia semper idonea rei Indogermanica vocabula nanciscendi. Nobile est nomen Richardi DANKA non modo apud nostros, verum etiam peregrinis aliquot in terris ob eius facultatem Indogermanice properanter loquendi, ob tot carmina aliosve versiculos huius linguae vocabulis resonantia ab eo composita, ob denique cultum omnem habitumque illius temporis, sodalium cum adiumento restitutum. Quibus de rebus praecipue a se adamat et agit strenuus et diligens scribit – magnam partem Latine, quod honori praecipuo ipsi scriptori, non parvo etiam adiumento ad vitam retinendae Latinitati fit.

Latina Ignatii Richardi DANKA de rebus Indogermanicis indeque orto posteriorum linguarum vinculo communi partim ad has linguas secundum vicinitatem similitudinemque ordinandas earumque communia reperienda, partim autem ad singularia vocabulorum consideranda atque explicanda pertinent. Agit itaque ille his in scriptis de sermonum Indoeuropaeicorum distributione⁵, de vocabulorum copia linguis hodiernis et Latinitati communi⁶ itemque de similitudinibus inter Slavorum linguas et Latinum sermonem conspiciendis⁷, etiam de ipsa rerum Europaearum doctrina principiis Indoeuropaeicis conixa⁸, ex parte autem altera Balticas separatim lexicas et etymologicas quaestiones et inter eas ciconiae nominis illis in linguis obvenientis originem disceptat⁹ seu nasi adunci appellationem ad quasdam eius radices refert¹⁰. Etiam de veteribus Osco-Umbricis vocabulis a Georgio UNTERMANN collectis ad tempus disserit¹¹, et id omne longe alio more praestat ac tum, cum orator rem suam (plerumque uberrime) explanat: nulla abundantia verborum, nulla fere ubertate sermonis, sed iusto semper ordine, cursu et finibus rei propositae bene constitutis beneque ponderata ratione. Id

⁵ *De nova sermonum Indoeuropaeicorum distributione*, Abruzzo. Rivista dell'Istituto di Studi Abruzzesi XIII 1975, pp. 109–123.

⁶ *De communi vocabulorum copia, quae Latini sermonumque Europae Septentrionalis propria est*, in: *Acta Conventus Internationalis IX Academiae Latinitati Fovendae, Jyväskylä, 6–13 Aug. 1997*, Jyväskylä 1997, pp. 265–272.

⁷ *Quibus propinquitatis similitudinisque vinculis linguae Slavicae cum Latina coniunctae sint*, in: *Acta Omnium Gentium ac Nationum Conventus Latinis Litteris Linguaeque Fovendis, a die XXX mensis Augusti ad diem IV Septembris A.D. MDCCCLXXIII*, Melitae 1976, p. 551–558.

⁸ *De rerum Europaearum doctrina instituenda, quae principiis Indoeuropaeicis, Latinis et Graecis fulta sit*, *Collectanea Philologica* III 1999, pp. 239–245.

⁹ Utrumque nondum commemoratam partem studiorum et disciplinae Ignatii Richardi DANKA in conspectum effert, labores scilicet eius in Balticas, et praecipue Lithuanicam, linguas inquirendas collatos. Primum est *De rebus lexicis et etymologicis Balticis. Similia Baltico-Graeca*, *Collectanea Philologica* I 1995, pp. 75–84 (una cum Christophoro WITCZAK), alterum autem *De Balticis ciconiae nominibus*, in: *Munera linguistica et philologica Michaeli Hasiuk dedicata*, Posnaniae 2001, pp. 1–4.

¹⁰ *De nasi adunci origine et appellatione*, *Vox Latina* XIX 1983, pp. 440–442.

¹¹ *De Georgii Untermann Vocabulario Osco-Umbrico*, *Studia Indogermanica Lodziensia* VI 2007, pp. 187–190.

demum est in scriptis eius linguisticis, quo iustissimam probi et strenui linguarum scrutatoris laudem demeruit quodque ordinarii professoris nomen honorabile aliquot annis ante ei attulit. Cuius laudis pars non minima sunt professoris Ignatii Richardi DANKA Latine scripta opera ad supra commemoratas quaestiones pertinentia.

Latinam rem sustinere numquam Richardus DANKA desiit. Et praevalente quodam studio ad cultum illum sermonemque Indoeuropaeicum delatus omni quidem tempore Romanorum lingua adhibita et agit et scribit et cantat libentissimus omnesque qui tantum praesidio sunt decrescenti revera – pro dolor – hodie Latinitati veneratur atque voce etiam ope adiuvat sua. Cuius erga Latinae linguae fautores reverentiae vestigia etiam inter scripta eius conspici possunt. Tum enim Latinis in conventibus quae gesta sint renuntiat¹², tum de Lodziensi Latine loquentium circulo quaedam lectoribus refert¹³, tum etiam de omni schola Philologiae Classicae Lodziensis, ubi cultus ille Latinitatis creverit, scribit¹⁴. Iam iuvenilibus studiis suis valido Romanorum linguae factus adiumento, rei Latinae praesidium firmissimum etiam senescens remanet.

Quid optandum sit ei, hodie iam octogenario? Maneat quam fieri possit diutissime, sicut omne adhuc tempus remanet, dux et perfugium omnibus, qui cotidiani quaestus obliti cuiusquemodi mirabilia rerum colunt, qui veterum linguarum morumque studio vivunt, qui sicut ipse et Latinum et alios extinctos fere iam sermones ad priscum splendorem et voce et scriptione restituunt. Ea tantum curet aestimetque – sicut agit continuo – “amico quae dederit animo”, nihil de posteritate exigendoque sibi monumento sollicitus. Id enim sibi iam exstruxit caementicio fundamine firmiter – studiis et operibus suis.

*Sbigneus Danek Universitatis Lodziensis
(Zbigniew Danek, Uniwersytet Łódzki)
zbigniew.danek@uni.lodz.pl*

ORCID:0000-0002-5905-9272

¹² Exempli gratia relatio *De Conventu Bucurestiensi* (Vox Latina VII 1971, fasc. 23, pp. 34–43) seu bipertita *Conventus Ovidiani Relatio* (pars prior: Vox Latina VIII 1972, fasc. 30, pp. 43–52; pars posterior: Vox Latina IX 1973, fasc. 31, pp. 10–24) laudari possunt.

¹³ Sicut prius in conventu philologorum Lodzie anno MCMXCII gesto rettulit; est enim haec commentatiuncula illic habita et conscripta post eius oratio: *De linguae Latinae vivae sectionis creandae causis atque huius sectionis muneribus*, Vox Latina XXIX 1993, fasc. 113, pp. 425–427.

¹⁴ *De schola Philologiae Classicae Lodziensis (ab initiis usque ad professoris Stephani Oświecimski munera deponenda)*, Collectanea Philologica I 1995, pp. 13–17 (una cum Christophoro WITCZAK et Roberto ZAWADZKI).